



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ad annum Christi 1563

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 90118618**

§. 12. Legati Moroni consilium de statuenda Principum emendatione.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66653](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66653)

Sæc. XVI.  
A. C. 1563.

turbare, sed generatim respondendum, eos non probari: si vero ad firmandos articulos ventum esset, tunc pro viribus strenue, acerrimeque reluctandum: verum Cæsariani hoc Consilium non admittebant, utpote nimis violentum, ciendisque tumultibus sat opportunum: Cum autem Quinqueecclesiarum Episcopus æger decumberet, solus Archiepiscopus Pragensis huic consilio oblectatus Legatos adiit, eosque docuit, quod Cæsar omnino peteret, ne duo illa Decreta proponerentur. Ad hæc gravem animi mæstitiam præferens Cardinalis Moronus respondit, mirari se, Cæsarem, qui semper tam acre emendationis universalis studium professus fuisset, velle nunc Laicos Principes necessariæ correctioni subtrahere.

§. XII.

*Legati Moroni consilium de statuenda Principum emendatione.*

*Pallav. l. 6.* **H**anc in rem Moronus Legatus hæc subjunxit: „cum ego, meique socii, antequam rem proposuimus, explorare voluimus voluntatem Pontificis, qui tamen se quasi spoliaverat ea prærogativa, & concesserat liberam Concilio potestatem cuncta conficiendi, adeo, ut nequidem præmoneretur: nunc vero Cæsar adeo non Pontificis exem-

Sæcul. XVI.  
A.C 1563.

"exemplum imitatur, ut etiam leges  
 "præscribere velit: quare si Cæsariani,  
 "dum res proponetur, suas contestatio-  
 "nes objicerent, nos nihilominus nostra  
 "iussa exequemur, Patresque postea di-  
 "mitteremus, quamquam, etiamsi velle-  
 "mus, haud ultra erit in nostro arbitrio  
 "Episcopos adducere ad ferendam de  
 "aliis articulis sententiam, illo, qui  
 "præcipuus, ac controversus erat, re-  
 "lictus: porro palam questi sumus de  
 "abusibus, & incommodis, quæ variis  
 "in regnis tolerata fuere, non quidem  
 "in Cæsaris, sed in aliorum Principum  
 "conditionibus, unde affirmare cogimur,  
 "ab Episcopis severum residentiae De-  
 "cretum fuisse frustra confectum, nisi  
 "tollantur omnes residendi obices, ab  
 "eisdem Principibus injecti, cum fieri  
 "non possit, ut illic residerent, ubi Pa-  
 "storum, & Præsulum honor adeo vi-  
 "lesceret, ut ipsi Præsules se quasi pro-  
 "famulis haberi a quovis minimo dy-  
 "nasta cognoscerent: si Cæsari ejus-  
 "modi injuriæ innotescerent, certe non  
 "adversaretur Concilio, sed potius il-  
 "lud, ut tantæ necessitati consuleret,  
 "vehementer incitaret.,"

§. XIII.

*Pragensis Archiepiscopi oppositio, ac  
 Moroni Legati responsum.*

Gg 2

Pra-